

tem, hoc sibi sufficit, & iam quiescit, quāvis ad ampliorem non attingat: quia tantum habet quantum capere potest: ergo sibi hoc sufficit & quiescit: sic est de beatis, quorum quilibet tantū capit de Deo, quantum ipse potest: nec tamen comprehendit, quia non totum capit. Sicut exemplum de amphora & cypho, quæ contentantur capiendū ex aqua maris tantū sibi sufficit, nec uult totum mare capere, quia scit naturaliter sibi hoc fore improprium portionatum, sic in proposito.

**UTRUM** Deus cognoscendo seipsum comprehendat. vide ubi incomprehensibilitas §. 2.

**COGNITIO** contingentium futurorum, & de contingentium euentu. plurima de huiusmodi vide ubi de Præscientia Dei agemus.

**COMMUNICABILE**: vide de hoc ubi intentio §. 2.

*De compositione.*

§. 1.



**COMPOSITIO**. An idem sit quod constitutio. Nota secundū Guil. super. 1. di. 26. quod differunt tria ista, scilicet cōpositio, resolutio, & constitutio. Declaratur. omne enim quod componitur resoluitur uel potentia uel re in ea ex quibus componitur, puta domus in partes, homo in morte resoluitur in corpus & animam. Sed non omne quod resoluitur illo modo cōponitur: unde nō est cōpositio inter uerbū diuinum assumens & naturā humanā assumptam, licet sit unio: tamen potest esse resolutio: postest enim uerbū Dei de potentia absoluta dimittere quod assumptum sit. Item uita: omne quod resoluitur constituitur, sed nō econuerso. Vnde in diuinis cōcedimus tres personas constitutas. scilicet ex proprietatibus, non tamen sanum est dicere, quod sint res solubiles. Hæc ex Guil. Scotiit.

§. 2.

**UTRUM** cōpositio aliqua habeat esse in Deo. Respondetur secundū omnes doctores cōmuniter, præsertim Guil. su. p. 1. dist. 8. per conclusionem, quod diuinæ maiestatis summa simplicitas nullam penitus cōpositionē admittit. Et probatur tribus præcipue rationibus doctoris subtilis sic per eo. dist. 3. primi. q. 1. Declarando se-

cundū tres cōpositiones, quæ possent fieri in aliquo & uidelicet, Primò ex partibus essentialibus: Secundò ex partibus quantitatis: Tertio ex substantia & accidente. Primò itaque probatur quod in Deo non potest esse cōpositio ex partibus essentialibus, uidelicet ex materia & forma: nullū enim imperfectū est primum in entibus. Sed omne cōpositū ex materia & forma est imperfectū, ergo nullū tale est primum: & ita Deus nō est cōpositus. Maior patet, quia de ratione primi entis est quod nullam habeat imperfectiōem, cum omne imperfectū habet reduci ad aliquod perfectū. Minor probatur, quia in omni cōposito, secundū philosophū, unū se habet ratione potentie subiectiue, quæ dicit imperfectiōem. Et denique ambo cōponentia se habent per modū partis. Pars uero imperfectiōem dicit, quia limitationem & potentia respectu totius & c. Secundò probatur quod non potest esse cōpositio in Deo ex partibus quantitatis, quia nullum infinitū habet partes quantitatis. Primū ens est infinitū, ergo nō habet partes & c. Maior patet, quia istæ partes quantitatis aut haberent magnitudinē infinitā, sed hoc nequit esse actus: Aut finitam: Et hoc non, quia nō potest esse uirtus infinita in magnitudine finita. 8. physicorum. Minor autem patet per Anselmum in monol. Deus est quo maius excogitari nō potest, ergo & c. Tertio probatur, quod Deus non potest esse cōpositus ex substantia & accidente. Nam primo de accidente corporali clarum est, quia corporale in spiritali nequit esse. Deus uero spiritus est. Secundò patet de spiritali, quia omne accidens transmutationē arguit: Deus autē immutabilis est. 7. & 8. physici. Alioquin procederemus in infinitum in causis & causatis. Hæc scilicet uide. Vbi simplicitas §. 6.

Sed dico nunquid humanitas est accidens uerbo in Christo? Respondetur secundū Guil. Vbi sup. quod nō est accidens, capiendū proprie accidens pro eo quod inhaeret subiecto, quia humanitas Christi, licet sit unita uerbo, non tamen inhaeret eidem ut subiecto. patet lib. 4.

**UTRUM** Deus in se sit corporalis uel cōpositū corpus. Ratio questionis, quia in scripturis attribuitur Deo corporales

§. 3.  
An Deus  
se sit cor  
poralis.